

P. Ray in Specie*n*e Hierarchia Hungariae p. 1  
pag 356. de Mathia Tarnoczy Episcopo ante  
Canadiensi, dein ad Infulas Naciens. Ab 1687.  
Translatio, sub Nota (a) sequentia habet.

(a) Sepultus fuit apud Ternouy, in Ecclesia ca-  
pituli Scepusiensis, cum hoc Epigrammate; Revo-  
lendum domino Mathiae Tarnoczy, Episcopo  
Vacieusi, Preposito Doronieci, et Separensi.  
Vere Patri ac Fautori suo gratioso Societas  
Iesu erexit. Obiit anno 1655.



## PRAGMATICON MITROPHORICUM

Quod

Reverendissimo Domino Domino

## MATTHIAE TARNOCI DE L E L O C Z,

EPISCOPO CSANADIENSI,

PRÆPOSITO SCEPUSIENSIS,

Sæ. Cæ. Ræq; Mättis Con-  
siliario, &c.

Mecenati suo singulariter gratioſo.

GYMNASIUM Societatis JESU Scepusij,  
debitæ gratitudinis testimonio  
dedicauerau,

Cum idem Reverendissimus Dominus

Ad Episcopatus CSANADIENSIS

evectus Infulam

Anno Sancto consecraretur

M. ACADEMIA  
KÖNYVTARA

M. DC. L.

•S(O)S• •S(O)S•

## PROLOQUIUM.

**S**i quando alias arcana illa Poëtarum præsagia & laudem sibi, & fidem apud suis cultores meruerunt, hodie mihi credere Präfus Reverendiss. (anniversarium recurrit dies) non fabulas Poëta licet, sed veritatem ipsam me Tibi proposuisse confirmor. ut jam tu unus pro mille mihi repuleris testibus, Poëtas non mendacis, sed ad omnem suavitatem compositis quâ Episodiis, quâ figuris Audiorum aures, animosq; demulcere consuevisse. Atq; ut, quod tum Poëtico adhuc seu calore seu furore me Tibi accinuisse mermini, Eidem jam Orator liberius cotam proponâ iterum, inducor. Mitram ego Te Persicam, in Mitra Solem fulgidorem compellaveram, nuncquam Vates aut veridicus, aut futura divinô Poëtarum prospecturu oculo, nisi te hodie augustiori donatum Mitram, nisi Präfusum Insulatum Scepusii contemplarer. Quia vero ex oraculo Apollinis ita accedit, & patente cortinâ plura me consulête, audire velle animadverteris; quid Mitra illa tua Persica in se portendar mystery, quid splendoris & augustioris majestatis præferat, Lusatij sensu Placidij de eadem jam olim proposito, velut oraculum explicabo. idq; tum, ut obscuritatem, qua dictanti Apollini amica est, aliquando effugiam; cum vero ne clarius ad Mitram Persicam, Virtutum in quam tua rum radios propficiens, quid ea Persis fuerit, quid tibi sit Präfus Reverendiss. sub felicissimis Insula tua auspicijs non gratulabundus modo, sed & gratius demonstrem. Neq; miraberis, minusq; feres moleste, a Mitra tua Scepusense Societatis Iesu Gymnasium sua iterum ordiri alloquia, quando hanc tu ipse solito illustrior, iterato etiam Mitram repeterem emeristi. Mitra proinde, seu Sol, quod idem est, Societati tua esto Präfus Reverendiss hoc in calo Carpathico. Nos perfectum Planetarum exprimentes numerum, velut umbra totidem, radios tuos subsequimur, dum stellarum ad instar per hoc Firmamentum multiplicati, tuum remotioribus etiam gentibus in nos transfusum splendorem explicemus; Multiplices vel ex eo tibi Mitras numerantes hodie, quia multiplici cum virtute resplendeas, augstiori etiam Persicam Mitram vertice exceperisti.

M. ACADEMIA

KÖNIGSBERG

## MITRA PERSICA.

### Argumentum.

**S**ic itaque ad verbum Luctatius, in versum ultimum, lib. 1. Thebaidos Statianæ. Persa in Spelais Solem colunt; & hic sol proprio nomine Mitra vocatur. Est autem ipse Sol Leonis vultu, cum Tyara habitu Persico, & utrisq; manibus bouis cornua comprimens. Et post multa. Sol est ineffabilis, quia principale signum inculcat, & frenas, Leonem scilicet, ideoq; & ipse hoc vultu fingitur; vel quod hic Deus ceteros sui numinis & potentia impetu excellat, ut inter reliquias feras Leo; vel quia sit raptum animal. & cetera, quæ de Luna sequuntur.

### Reverendissimum Präfusum Solem esse.

Placeret hic mihi uti Luctatio Placidio placidam subscreiben sententiam, ita singula velut oracula ampliore prosequi periodo; nisi quæ potiora sunt ceteris, dum pro se perorant tertius, totum me sibi vendicarent. Solarem proinde hic mecum Reverendissimi non jam discum sed orbem, cercante Scepusii, neq; vestras modò, sed totius adeò oras Ungariæ, qua virtute, quâ consiliis collustrantem. Quid? Solem certè, quem in dies ab ortu Sereniorum semper aspiramus, cum Juliano & Samblico adeò suspexit Macrobius; ut qui eum in hoc terrarum orbe Imaginem, & Vicarium. Dei dissideret, qui aureo nitentem fulgore Hyperionem, cœlestis felicitatis lumen, æternæ Justitiae oculum, & Immortalitatis lampadem pernigaret, hunc sanè nec noctis attentijs considerasse tenebras, nec admirandum exortum Solis ponderasse uspiam, nec ejus animadvertisse munera,

A 2

nec

nec Arcopagitæ Dionysii monumenta unquam ad Solem  
perpurgato inspexisse oculo, sit compertum. Sol quippe  
ille est, qui ad antiquitatis excusus leges, & cælo tri-  
stiorum fronte cidarim detrahit, & sublunaribus suum lu-  
men fænerans sideribus, humani animi serenat nubila, Ju-  
stitiam, & Minervam medio in sui corde pectoris, velut in  
sublimiori throno compositam fovet, colitq; hospitatri-  
cem. Advertis Præsul Reverendiss. & vos quid mea inten-  
dat oratio Illustriores Scepusiorum Accolæ montium per-  
spicitis. Jacuissetis nempe (pace vestrâ dixerim quot quoæ  
dictionis meæ consci; coram annuitis) & in tenebris vestris  
etiamnum cum Gymnade Scepusii cæcutiretis; nisi ad sere-  
nissimæ hujus lucem Lampadis, de luce in claritatem, de cla-  
ritate in amoris incendia animati, quanti quanti abiissetis.  
Sed parùm dixi. Sustine Præsul Reverendiss. non tam in  
suæ, quâm tuæ eloquentiæ, campo inquam virtutum tua-  
rum, luxuriari oratorem. Antiquitatis Ægyptiacæ in hoc  
uno oculatæ est adagium, quidquid hoc sublunari contine-  
tur ambitu, id omne vel solari tantum potestate absolvi, vel  
si ab aliis; in unius Solis virtute aut perfici, aut animari: ut  
non immerito soli subordinata Lunæ potentia generatio-  
num Domina, Sol verò elementarium virtutum Dominus,  
omnium invariabili calculo sit judicatus. Bene habet Præ-  
sul Reverendissime; hæc tuæ Societatis novella plantula &  
agnoscit, & reveretur; sed quia cum Luna nihil te commu-  
ne vel habere, vel agere unquam deprehendit, singularem  
te hoc in cælo Loyolæo Solem, Mitram novam suspicit &  
veneratur. Sed adhuc minus dixi, nisi te ad Platonorum  
veritatem animatum, & augustiorem Mundi gerentem ani-  
mam Solem nuncupavero. quid ita? Sol certè Platonis au-  
thoritate subscripte, cā est perfectione, ut dum meliorem

totius

totius in corde Mundi gerit animam, cuius operationibus  
totam suam sphæram eximpleat, per globum illum quasi  
igneum, cordis ad instar effundit radios, & veluti spiritus,  
quibus vitam, sensum, motumq; toti universo distribuat,  
inspirat. Prævertis iterum Præsul Reverendiss. & quia silen-  
tium adamasti, factis ipsis, ad dicendum viam præmonstras.  
quid enim illam ego tuam in omnes, & singulos profusam  
liberalitatem deprædicem? Tota penè Scepusii Nobilitas,  
& numerosior Alumnorum tuorum series filere volenti,  
prolixiores imperabit orationem. Quanquam & hæc mi-  
nora existimo, quâm ut tuo & Nomini, & splendori possint  
coæquari. altius proinde assurge oratio, & quod in mente  
sedet, innatâ tibi sinceritate coram deprome. Solem quip-  
pe præter animam, in suis uti superstitionis, itâ curiosa anti-  
quitas, jam pridem memoriae prodidit, in medio cordis am-  
bitu sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis imaginem præ-  
ferre. Injurius sim in te Præsul Reverendissime, si id tibi me-  
liori longè quam olim titulo debitum denegavero. in cuius  
corde non Imago, sed ipsa adeò Trinitas augustiorem sibi se-  
dem delegit: illud unum in te suspicio, quod cum triplici  
dignitatis prærogativâ gaudeas, hac in trinitate sanctissi-  
mam non desinas & fovere, & pretendere unitatem. Itē  
nunc ite quotquot in varias rapti sententias Solē olim præ-  
cæteris majorem Deum coluistis: ite & Justitiam media in-  
fronte solis collocate; Tauri effigientem cornua confin-  
gite; Leonis vultu insculpite; orbis, astrorumq; Dominum  
appellate; Mentem & meliorem temperationem mundi  
concedite; cum Heraclito deniq; cælestis lucis fontem, cor  
cæli, oculum ætheris, aufcentimanum Briareum, vel quo-  
cunq; velitis titulo nuncupate: ego sanè in Mitra refulgen-  
tem Præsulem nostrum Reverendissimum, in Præsule malè

Onudum antè, sed jam **conectum JESUM**, in JESU verò san-  
ctissimam, & Individuam, quam in dies majori sensu recolit  
cum Unitate TRINITATEM adoro: eumq; omni antiquita-  
tis Sole fulgidi orem asserens, sublimiorē etiam prædica-  
bo. Fulgore nunc tuo prævenior Præsul Reverendissime,  
& Mitrā tuā novam scenam instruente, quæ verbis effari ne-  
quco, sacro venerari silentio compellor. Erumpo tamen, &  
quid ea Mitra sit, quid splendor cælo hoc nostro insolitus,  
inquito.

### MITRA PERSICA SAPIENTIAE.

Quæ visa Cælo lumina detinent,  
Et fronte lætā quæ renovant moras  
Seu signa, sacri seu coluri,  
Seu etiam sine nube Soles?  
An fors rubenti deciduuus polo  
Se Phæbus urget; vel superas domos  
Commutatorbi, nec Trionum  
Parrhasios volitare saltus  
Moratur astris? an magis ætheris  
Perosus arces, Thessalicos petit  
Rursum recessus, & paternos  
Axe fugit profugus penates,  
Ulturus astris crimen, & abditâ  
Ulturus ausus Lampade patrios,  
Unum screnaturus orbem, &  
Thessalios juga celsa montes?

Erro,

Erro, paternos non fugitat lāres,  
Non astra spernit, nēc patrios fugit  
Vultus, sed & terram hospitalem  
Atracis metuit recessus.  
Est nempe terris dignior est locus,  
Et cultiorum gloria Montium,  
Quām vel Pheræus, vel Peletron,  
Aut etiam Pagasæus orbis  
Cynthro propinet. Scepusios petit  
Phæbus viroles, floreq; divites  
Invisit hortos, non aristā  
Thessaliam male fluctuantem.  
Quem verò Phæbum, quas Clarij rotas,  
Quod fulgurantis Deliadæ jubar,  
Quæ colla flaventi capillo  
Purpureas glomerare flamas  
Hoc orbe jacto? nempe cui genu  
Quidquid polorum cingitur ambitu  
Flectit; cuiq; & quos Quirini, &  
Arsacidæ renovant triumphos  
Sternuntur unā; quem Latium colit,  
Et mollioris mentis Achemenij,  
Et quidquid usquam continetur,  
Quem varijs reveretur aris.

Au-

Audire sed fors nomen Osiridis,  
Aut Delphiorum Numina poscitis,  
Aut Pythij nunquam tacendam  
Me cupitis resonare linguam?  
Recede versu, seu Pataréium  
Seu sanctiorem yultis Osiridem  
Seu Pythium, seu clariorem  
Cum Clario Lycium vocari.  
Me Phæbus alter sidere detinet,  
Alterq; mentis luminā possidet.  
Arctoa seu me terra servet,  
Seu potius revocet Gelonis  
Antarctus orbis. Sed cui cornua  
Utramq; circum nobilitant manum,  
Quæ vel Bisontis suspiceris,  
Vel pretium positum laborum  
Tyrinthiorum; cùm Calydoniæ  
Virtute tantâ constiterat Nurus,  
Cessitq; tandem fortiori  
Amphitryoniadæ furori  
Mutata Dipsas nunc Acheloidæ  
Horrente vultu, nunc Melijssidæ  
Pensata Amaltheæ caprino  
(Matre datâ super astra) cornu.

Has

Has has micantis suspicio comas  
Phæbi, has Leonis rictibus igneas  
Stupesco flamas, has favillas  
Continuos agitare fluctus  
Incendiorum vix animo fero.  
Quis namq; Solis non stupeat vices,  
Tot mentientis quis colores  
Non animo referat stupenti?  
Dixere Mitræ, si veterum fides  
Pensatur orbe; hinc rictibus igneis  
Præfert Leonem, atq; hinc tyaram, &  
Cornua fronte gerens, sereno  
Vultu refulget, Scepsiis plagiis  
Culturus aras, & Capitolij  
Culturus arces, quas potentis  
pannoniæ fabricavit ardor.  
At quid coruscas Arsacidum moror  
Flamas, quid ignes ambiguos Mitræ.  
Quid flammeo rictu Leonem,  
Et rubeâ celebrem tyaram,  
Cornuq; jacto? nunc aliæ faces,  
Et Solis alti nunc alij rogi,  
Tarnociano suscitante  
Per Scepusum refoventur igne.

B

En

Enfulgurantis ceu radiat comæ  
Mitrata cervix, ceu refluit novo  
Splendore crinis, ceu Tiara  
Scepusios animat virotes.

Hic nempe Mitræ splendor erat Sacer,  
Quo se petebat Scepsum tegi,  
Et fulgor hic TARNOCIANUS,  
Quo voluit Scepsum beari.

Hæc illa Mitra est, hæc Sapientum,  
Et doctiorum laurea Präfulum,  
Quæ quot catenatur pyropis,  
Tot radiis Scepsum serenat;  
TARNOCIANIS quando super comis  
Effusa, centum nexibus horridos,  
Sphyngisq; verbis implicatos  
Arte docet reperire nodos.

Odigna tanto Präfule adorea,  
Dignumq; tanto munere Präfulem,  
Dignum cui lumentur arces  
Scepsum, & cui FERDINANDUS  
Arcana Regni credidit Arbitro,  
Et Justiori nupera Judici  
Concessit Acta, ceu potenti  
Consiliis, animoq; Regni.

Nunc

Nunc ergo Präful, quod superest, age,  
Utdum Tiara te Sapientæ  
Cernis decorum. Nos salubri  
Consilio refovere, pergas.

Vides Präful Reverendissime, te non modò Mitratum Antistite,  
sed & Mitræ persico apparatu fulgidorem. soles, non verbum re-  
voco, nisi etiam penitere velit; Mitra es, & Mitra quidem Sapien-  
tia, quo d me tacente confirmas: aut si me loquente taces etiam; quia  
Sapienter tacere didicisti, loqueris Sapienter. Loquere proinde si-  
lendo, aut loquendo sileas, dum Hieroslymitanus Hesychius Mirâ  
Persicam, in d tuam, uideo Sapientia signum denuntiat, quia in ca-  
pite Sapientis, ubi omnis Sapientæ organum cerebrum hospitatur,  
velut sede sublimiori refulget. Procul itaq; insana illa, & ad fidem  
Poëtarum mentita fabulose antiquitatis portenta; & seu Acheloa  
Amaltheæ, seu Amaltea Acheloi procul cornua recedite, neq; jam  
Copia amplioribus sinum opibus eximplete; quando fastigato Anti-  
stes noster in duplex cornu vertice, verè Cornu Sapientia obtinuit.  
En Mitræ duplice cornu nobilem non videbis? En Präfulem Sapien-  
tia cornu gemino coronatum, non obstupefcitis?

### M I T R A C O P I A E.

Quid ergo vanâ posteritas fide  
Centuplicatis Æmonida orgijs  
Cornu fatigas, & famentis  
Hinc stomachi reprimis latratus?  
Quid non potentes pauperiem pati  
De Cornu Amaltheæ queritis aureas  
Sonare virgas, quid creari  
Hinc petitis Cereris medullam?

Cessate cornu quærere supplices,  
Inanitatis, non opibus grave;  
Cessate Amaltheæ furores  
Sollicito revocare quæstu.  
Non illa larvis horrida Taureis,  
Aut fronte multum consimilis Capræ  
Vos Copiæ cornu beato,  
Et tereti relevare sceptro  
A turpiori pauperie potest.  
Quin ergo Mitram quæritis auream,  
Mitra, refusam cui Leonis  
Cæsariem benè pectit unguis,  
Crispatq; flavas fronte Sacrà comas,  
Stringente nodo, ne rapido fluant  
In orbe gyro, aut fluctuantes  
Continuò meditentur undas?  
Huc huc citatis currite passibus  
Jovis nutrices, huc Melissides,  
Et digna non pigri laboris  
Munera ab hoc cumulate Cornu,  
Quæ Mitra jactat, quæ scepusi plagis  
Effusa Cornucopia gloriæ  
Tarnocianis quæ sub umbbris  
Palladio repetit favori.

Redeunt

Redeunt illa Præful Reverendissime, quæ in duplex Cornu fastigato tuo vertice jam pridem suspeximus; tanto tamen & graviora, & oratoria redeunt hodie, quanto magis conjuncta Cornu Sapientie acountur. Cornu quippe illud Amaltheæ, seu Caprimum, seu ut alii fabulantur verè Taurinum eà Poëtarum calculis virtute fuisse perhibetur, ut qui eo à Jove donatus fuisset, is non ciborum modo varietatem famentibus, sed & potum exquisitissimum quævis creare, & egenibus liberalissimâ partiri manu potuerit. Creare te Præful Reverendissime (ne continuo fabulosus appaream) non dico cibos, aut quidvis aliud; tamen, quæ in pauperes, quæ Alumnos tuos, & ipsam Societatis JESU Religionem, liberalitatem, munificentiamq; tuam suspicio, ut difficillimis etiam his temporibus, si creares singula, plura de tuo Cornu copia requirere non possent, & Pallas nostra in se verecundior, non auderet. Nempe priusquam Persicam Mitram caperes, jam te Copia Cornu duplice non Scapus modo, sed remotioribus etiam partibus tot votis desiderabilem reddidisti; vel ex eote Cornu Sapientia possidere probans, quod in quos Mitram Copia copiosius, quam in solidiores cultores Sapientie, effunderes non habueris.

*MITRA INCORRUPTIBILITATIS.*  
Conclude molli munera pyxide,  
Quæcunq; campis de Mareoticis,  
Aut flores si quæ de Sabæo,  
Cypris adhuc liquefacta servas.  
Panchæa non hic, ne Achæm enif  
Vnguenta regnant, non Amaranthina,  
Aut tincta per Nardum venena  
Illicijs refluunt odoris.

B 3

Effun-

Effunde succos quos Arabum coquunt  
Panchæa Tempe, & quos Sporades legunt  
Radice oleni defluentes,

Et madidis fluidos capillis.

Quando rosatis nec Phæteleidos

Nec Mitridatis, vel Mareotidos

Fovetur unguentis Sacerdos,

Cui melior refluens oliva

Tinxit capillum, cui Cidaris comas

Et castioris tessera pectoris,

Crinem catenavit retorto

Post humeros religata nodo.

Sic nempe quisquis fronte gerit Mitram,

Et Crine castam qui Cidarim premit,

Unguenta non illi capillis,

Non Pharij refluunt odores.

Quin castiores corde foveat faces,

Ignarus omnis Cnidiados rogi, &

TARNOCIANOS hic Pudoris,

Continuo jaculatur ignes.

Quantus iterum Praeful Reverendissime & Mitræ tue, & Sapientia Patronus extiteris, vultus de humeris pendens cedaris, Mitra in te Sapientia testatur. Sed ad mea fortasse verba, Pudoris uti amantissimus, ita humilitati amicissimus erubescis? colore tuum, & Solaris Mura serenitatem non tam imitaris, quam veriori exprimis penicillo. Parco proinde tuis laudibus, ne si hic parum

dixeris.

dixero, merito una mecum erubescas. Cum Apollonio proinde mihi Sermo est; de Judece solum, ut annuas labore. Et en Incorruptam hic Mitram tuam appellat; quia propter fascias, quibus ea à tergo præligatur, integrum, & incorruptam Pudicitiam representat. Ligant hic mihi & calatum, & linguam Presul Reverendissime tue Fascia, & ne excurram ulterius, hoc unum finiunt dicere Te ut Regulæ tuæ satisfaceres, Angelicam semper in omnibus puritatem imitatum fuisse.

### MITRA ORNATVS.

Si quis multiplicis notas

Splendoris, varium si capit is decus,

Si gemmas cupiat comis

Undantes veluti cernere. Carpatus

Qua se Soli vagis jugis

In cœlos acuit, quâ liquidum æthera

Durat perpetuâ nive,

Et nubes gelido culmine sustinet,

Huc gressus celeret; novum

Splendoris varijs, nec sine gloria,

Etrarum capit is decus

In Sacro dabitur cernere vertice.

Nempe in Scepusij soli

Matthiae niveo tempore Praefulvis,

Spectabit nitidum jubat,

Illustremq; notis Jasپideis Mitram.

Specula.

Spectabit roseis comis  
Bellonæ rutilam vincere cassidem,  
Et quæ, dum Zephyris jocos  
Intentat, graciles vincit Japygas,  
Seu Martis galeam velis  
Cristato varie syrmate nobilem,  
Seu quidquid trepidis Notis  
Ludit, conspiciet vincere Præfulem.

Audis Praeful Reverendissime, ut se tua virtus aperiat; & nova  
dignitatis tua insignitus vertex Insulæ, omnem latè ornatù Persici  
Majestatem diffundat. Nempe multa etiam conclusum pyxide vel  
sibi olet balsamum, & suum sepulta scintilla perurit cinerem, car-  
bunculus suas tenebras illusfrat. Advertis non tam meum, quam-  
tuum Praeful Reverendissime hic à me genium explicari; Sed &, quia  
quia nec pigmentariam, nec gemmariam officinam unquam, nisi  
clausam adamasti, universa capitis tui decora in Insulam conjectisti;  
& verò hac novæ dignitatis velut onus tuus prædæ, robustiori, quia  
Pastorali succinctus Pedo, fugis etiam; Sapienter, quando sic dum-  
honorum fallere tentas vestigia, vel fugiens incurris, verumq; de-  
monstras illud Fugientem sequitur honor. Quanquam neq; hac  
tantum tuos inter movent miraculum, nisi ex mora fortasse longio-  
ri exortum. quid enim dignitatis differit tibi debuit, qui ita Mira,  
& non mollis superstitionis Persica amatorem te fuisse ostendisti, ut  
cùm nunquam effeminatorum unguentis crinem tuum diffluere pati-  
velles, & vir cùm esses, Miram sine balsamo, sine fuco omni adama-  
veris; satis eam, & pro merito quidem, virtutum tuarum insignibus  
ornatam redditurus, si, quod facis, dum adamares, reddidisses ad-  
amantinam.

Ergo

Ergo Calestræ turpe genus Mitræ,  
Aut si Caliptræ nomen amas magis  
Recede splendor, nil profanum  
Fronte geret dominâ Sacerdos  
Sacratus astris; nil Parius labor  
Quodcunq; vano pollice struxerit,  
Splendoris attexet capillis,  
Quos superum decorat nitore  
Possessa Virtus; nil Libyæ dabunt  
Mitræ decoris, nilve Semiramis  
Ars ficta dextrâ, quem Tyara,  
Quemq; polo data Vitta vestit.  
Aut ergo rumpens fila Semiramis,  
Aut castiori brachia stamine  
Innecte texens, aut labori  
Fronte Sacrâ Phrygio negabit  
Praeful capillos, quos semel ætheris,  
Et sanctiori Nomine Numinis  
Sacravit, ornandos lapillis,  
Non Phrygio sine lege filo.  
Quanquam, quid ultra seu Tyrias moror;  
Seu fluctuantes Arsacidum Mitras  
Seu Entheatas quid Caliptras,  
Seu etiam Bromio maritas

C

Mo-

Moror Tyaras? quidve adamantinos  
Nexus requiro, quid Cyanis graves  
Contendo perlustrans Calistras  
Præsuleo residere crine?  
Quando, Sat ille est sideribus comes,  
Quicunq; gestis concolor ætheri,  
Expressit astrorum nitorem,  
Ceu totidem referens pyropos,  
Quot castiores igniculos suo  
Sub corde gestat, pectore quot faces  
Virtutis accedit, quot orbe  
Quotq; polis jaculatur ignes;  
Nec purpuratas Sardonicis comas  
Aut discolores Chrysoliti genas  
Venatur unquam, cui amici  
TARNO CII fuerint amores.

Ornatum te: Presul Reverendissime si nesciebas hactenus, modo,  
Sed tuo in ornatu gloriantem contemplare; Peregrinis quippe non-  
eges coloribus, qui alios etiam splendore tuo & ornare, & serenare  
sepius es notatus. verè hinc quoq; Mitra Persica & nomine, & cultu  
dignissimus, quod pulcherrimum cùm te ab omni parte suspicimus,  
nostras etiam ad tuum splendorem, tenebras corrigamus. Exesse  
proinde impura tot seu Caliptarum, seu etiam Libyorum, Phrygia-  
rum, Mitrarum nomina, & cum vestris mitrophoris, Tiarophorisq;  
non Cisse modò populi, sed ipsi Persæ etiam, si quid solari Mitra bu-  
milis, & Presulis indignum magis celebratis vertice exultate:  
quando nihil hac TARNO CIANA sub Insula majestas spirat humi-

l.

le, nihil nisi Persicum, & illud quidem Regium, augustius affectat.  
Non creditis? Audite.

### M I T R A R E G N I.

Qui fastuoso te neget essedo  
Dictare seris jura Quiritibus  
MATTHIA, an hic Regum potentum  
Est animo meditatus arces?  
Non ille fasces, non diademata  
Non celsioris Sceptra potentia  
Pensasse Regnorum putatur,  
Aut etiam capitis Tiaras  
Lustrasse; sed nec quo jaceat loco  
Regale Nomen nosse; cui haud opes,  
Aut stellicantes cui pyropi  
Conficiunt pretium decoris,  
Sed rara Virtus, sed melior nota  
Regalis orbis, depositus timor  
Et pulsus omnis non quieto  
Corde pavor, scelerum Magister.  
Hic unus arces Imperio regit,  
Regniq; summis hic vehitur rotis,  
Non qui remordentes lupatos,  
Arbitrio moderatur Euros.

Quando nec auro fulgidior domus,  
Nec purpuratâ veste novus color,  
Nec longior Patrum Senatus  
Regna super positum notantur  
Signare Regem; sed cui pectoris  
Cessere Diræ, nec resident mala  
Sub corde clauso, sed furoris  
Absq; notis dominatur orbi.  
Est ille nempe est Rex animo potens,  
Qui cùm superbo colla premit jugo,  
Frænare sic novit tyrannos  
Præcipitis populi favores,  
Ut nec faventum cedat amoribus,  
Nec dissolutis ambitionibus  
Captiva submittat verendo  
Colla jugo subigenda, frænans  
Quoscunq; fallax ambitio tenet,  
Aut falsioris gloria Nominis,  
Et mentis inconstans libido  
Præcipites facit ire saltus.  
MATTHIA an audis ceu mea te canat  
Armata plectris Calliope, & novum  
Regem salutet, dum Tiaram  
Fronte Sacrâ retulisse gaudes?

Au-

Audis solutis ceu nova nabijs  
Trophæa jactat, ceu Scepusas tuis  
Arces supinatas triumphis,  
Pectinibus recolat canoris?  
Audis Mitratam ceu tibi gloriam,  
Et castiorem verticis Infulam,  
In purpura mox purpurandam  
Aonidum melior Senatus  
Pindo precetur? deniq; Principum  
Audis tuorum, & vota Penatium,  
Quæ farre sacro dum Tonantem  
Conficiunt, jaculentur, audis.  
Lassantur astra, nec Superos amant  
Ornare tractus; quin Capitolij  
Montes fatigant celsiores,  
Et Scepuso socijs recumbunt  
Detracta votis, dum tua te vovet  
Regnare JESU Relligio Parrum,  
Quæ Rege Tanto se beatam  
Scepusio resonat futuram.

Nescio quo meus hodie Praeful Reverendissime si auderet calamus  
excurreret; illud unum probè intelligo, eum non nisi ab Infula tua,  
aut velle, aut posse etiam detineri. Adeò nimurum me in tui Praeful  
Reverendissime admirationem pertrahis, ut dum in multas Mitra  
tua laudes explicandas provocor; plura, aut Sacro venerari silentio,  
aut arcanis saltem mentis contemplari oculis compellar. Quid? Mi-

C 3

tram

tram tam in Sole Persico dixi Persicam? nisi parum de ea diffe-  
ruisem, Veritatem fortassis expressisse meritò estimarer. at à Certo  
non recessi, quia cuius verbo laudes adquare non poteram, certa-  
legens vestigia, adumbraui. Incorruptibilitatem ei quoq; addidi;  
vel dicam potius, in Vncti hodie Capite Pontificis, dum Mitrā con-  
spicrem, perpetuum Incorruptibilitatis insigne, & novam velut ref-  
seram suspexi; Immortalitatem haud dubie Suspecturus, nisi, que  
nōstrorum oculorum est imperfectio, ad Mitrā tua splendorem cœcu-  
tirent. Plus ultra, affectu viam præmonstrante tentavit calamus;  
& quia omnem omnino Persici apparatū splendorem in tuo cum Mi-  
trā re sedisse pervidit vertice, eō etiam processit audacia, ut Mitrā  
hanc, augustius Regalis pompa indicium, nuncuparet. Neg, succen-  
sebis opinor Præsul Reverendissime; nisi totam retroactam antiqui-  
tatem aut errasse omnino in judicio, aut minus saltem aquo singula  
ponderasse calculo estimaveris. Ut ut sit, in judicium tecum hodie  
non venio, ne dum profunda niminm scrutari præsumpsero, facile  
expediri non possim: illud unum cum Suetonio libere pronuntians  
Tiaram et si Sacerdotibus, Regibusq; communis fuerit, in  
Regum tamen capite, fastigiatam magis extitisse. Subscriptit  
Philarchus, & Tiara inquit ornatus capit is est, quam soli Re-  
ges rectam ferebant apud Persas, Duces autem inclinatam.  
Audis hac Præsul Reverendissime? at legisti etiam, hanc tuam Tia-  
ram, seu Mitrā Persicam, Regiam fuisse semper diadema; ut non  
immerito Demaratus ille Lacedemonius, cui ob consilia saniora à  
Xerxe Athenis fuerat propositum, peteret à Rege quod vellet, ante  
omnia sub recta Tiara Sardes maximam Asia Urbem triumphali  
curru in vehi, (quod Regum erat proprium) expetierit. Triumpha  
nunc sub tua Tiara Præsul Reverendissime, quam seu Consiliis (Con-  
siliarius quippe es,) seu Virtute Regia acceperisti; & eadem authorita-  
te, quā cuncta infra te posita sublimior d' spicis, mihi plura locuturo  
annens, subscribe.

M I T R A S A P I E N T I A E.  
Quid pertinaces Martia Pannones  
Gestare signa, aut quid clypeis graves  
Lassare dextras non percosi  
In varios ruitis Gradivo  
Urgente casus? nec galeā caput  
Nec ense fessum continuo latus,  
Aut tela vibrantes lacertos  
Perpetuo sinitis labore  
Cessare campo? dicite, dicite  
Et lætiori dicite tibiā,  
Jam Pannonum tandem ruinas,  
Sed sapiens reparabit ætas.  
Jam versa Thracum castra frementium.  
Et Sæva peltis prælia Bistonum,  
Aut terga vertent, aut suorum  
Ossa super tumulos reponent.  
Quando quod olim robore militum,  
Seu seigniorum Pannonij Ducum  
Cessere per ferrum per ignes  
Lunigeras superare Peltas,  
Illud Tiaras per Sapientium,  
Et per Mitratum tempora præsulum  
Rursus sepulchris vindicabunt.  
Et cineri rediviva cogent

Trophæa cælis surgere; qualia

Videre quondam, cùm Scythicis plagis

Victoriosos post triumphos

Ungaricis posuere signis.

Nil ergo posthac ære cavo gravis,

Centumq; tauris Umbo perhorridus,

Nil mille telis ingemiscens

Ex humeris volitare cornu

Regno juvabit; nil balearibus

Armare fundis profuerit manus,

Multoq; plumbo, nil lacertis

Per liquidos agitare cælos.

Majora tentat dextera Præsul's

TARNOCIANI, quem Latijs plagis

Mitrata Pallas, dum Tiarâ

Condecorat, Scepuso præesse, &

Regnare celsis Carpatij jugis

Minervajussit, quem Sapientia

Virtute multis invidendâ

Scepusij dedit orbis arcus

Frænare circum, haud robore dexteræ

Aut æstuantis pectoris impete,

Sed celsiores per Tiaras

Et gracilem sine nube vultum.

O San-

O sanctiorum gloria Præsulum;

Et fortiorum gratia principum

Matthia! & ô pacis petitæ

Per Scepusum reparator orbem!

Ter digne lauris, digne caput Mitris

Ornare centum; digne cui comæ

Post tot trophæa, & post Tyaras

Purpleo refluant Galero,

Vel jam triumpha, dum Capitolij

Plantare nostri vertice Palladem, &

TARNOCIANA sub corona

In Scepuso recolis Minervam.

Sic nempe Regnis dum Sapientia,

Sceptrisq; præstat, non diadema

Quassantur Euro, nec procellis

Perpetuos metuunt furores.

Sed sæva quamvis æthere fulmina,

Tempestuosis turbinet ictibus,

Raptosq; Cyclopum caminis

Dextta Jovis minitetur ignes,

Non illa mentes impavidas tamen

Terrebit unquam, quas Sapientia

Armavit, & quas sub Tiaræ

Præsidio voluit sovere.

D

Nunc

Nunc nunc caducis undiq; fluctibus  
Insurge Pontus, nunc fugiens tuum

Per Saxa litus, nunc tumore

Scepusiis spatiare campis,

Et merge quidquid Carpatus arduo  
In astra vultu sidere despicit,

Dum terra rursus naufragantis

Extimeat nova monstra Pyrrha.

Non hic paventes indideris metus

Scepusiens, hoc præsule, Palladi,

TARNOCIANA quæ Tiarâ

Ludere amat, Sapientiæq;

In annulari Regia circulo

Monstrare signa, & sub Jove turbido

Cæloq; flammis fulminante

Fulminibus referens cachinnos.

Nimius essem adbuc Præsul Reverendissime, nisi nullus esse male-  
lem, quam umbra tantum Solis Persici, virtutumq; tuarum imita-  
trix. Subduco proinde pennam è tabula, ne dum Sole omni splendi-  
dius illustras Scepusium, indignorem tantà tuâ majestate umbram  
tibi, & obscuram nubem adjecisse condemer. hoc uno, meo quidem  
calculo, felicior, quod, quam in te multi Regiam hactenus non per-  
videbant gloriam, Sapientiâ tuâ demonstraveris. Quæ omnia si  
quis in dubium pertinaciùs revocet, non vanâ authorem fidei mecum  
& consulat, & audiat. Ita enim ille

Sapiens

--- Sapiens uno minor est Jove, dives,  
Liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum.

Plura hac, quam ego dixeram, qua & probandi & singula confir-  
mandi iterum ulterior mihi esset animus, nisi hac ipsa Præsul Reve-  
rendissime, & in Mitra tua ornatus Persici, & in augustiori, quod  
verrice gestas Regum diademeate, & in ipsa deniq;, ut cetera non  
repetam, Tiara sapientia demonstrasses. Non te itaq; amplius pro-  
bablo Regem, ( quamvis & te & tuos regas Sapientissime) quia vir-  
tutem medullam Regum possides; quâ sine, Corona vere turpis est, &  
Rex non Rex amplius, sed fœdus anima sine Cadaver. Non te Pra-  
dentem, non Pium, non aquum, non Fortem, non Clementem, aut  
Munificum, vel Modestum dicam iterum ( quæ Regum, Sapientum  
dicere erat animus, primaria sunt virtutes) quando & Die casis tua,  
omni jam penè ignorantia extirpato errore de Animarum Cultori-  
bus, vere Theologice Sapientibus Sapiens ipse, abunde prospexit, &  
novellæ, ac velut exuli adhuc Societatis Iesu in Scepusio Monte  
Palladi hospitalem porticum ( Athenæum diceret alius) non exhibi-  
bui modò, sed & in propriâ Domâ tibi ipsi factus angustior, etiam  
num exhibes liberaliter. Justum te Præsul Reverendissime tuo in-  
diadamate appelle Regem? qui omnia perire mavis, quam Justi-  
tiam, aut in te, aut tuos inter non regnare. Fortem te, sed manu in-  
cruentâ, fortem, sed sine lite sanguinea vis ut deprædicem? Mode-  
stia tua repugnante etiam, dicam tamen. Corda tu ad te seu traxi-  
ste, seu convertisti omnium, quaqua versum glorioſior nominis tui  
fama perivagata est. Audire vis Pannonia? Novam in Aruensi Comi-  
tatutu tuo, & jam penè ignotam tibi novus Apostolica tñæ Corona Apo-  
stolus, sed vivâ Ecclesiam erexit MATTHIAS; uno frendente con-  
tra Dæmone, quem tamē objecto capitis tui signaculo, Cruce inquam,  
& constantiâ Sopivit. Parce Præsul Reverendissime; alieno huc seu  
errore, seu etiam ignorantia sum delapsus; ut dum jam pridem tibi  
valedicere constitui, nunquam tamen valedicam; ita non modò Rex  
humv.

humanus es, sed & quia Sapiens, divinus. Orpheum sustinentem  
Rhodopes juga dicerem, nisi dum inani lyra sono, Sapiens cum sis, de-  
lirare contemnis, ampliorem orbem tibi Scapusum in Citharam ele-  
gisses, & hujus discordes in musicam concordiam cogendo nervos,  
me hac in tua arte singulari attonitum sustineres. Nunc plura non-  
adjicio; contentus eo futurus, si dum in Cithara tua chordas articu-  
lo Regio concordas singulas, à concordi decem vocum discrimine So-  
cietatem JESU, quam non in Scapus modo, sed & toto orbe diffu-  
sam, tuq; altissimè insculptam cordi circumfers, non excludas; in  
hoc vel maxime te Regem probaturus, si quod virtute tibi Re-  
gnum peperisti, idem autoritate Regia in Pa-  
cis Unitate conserves.

O. A. M. D. G. B<sup>mæq;</sup> V. M. MARIAE  
honorem.

